

DE SERPENTE, CUI VIPERÆ
*ra nomen est, & ejusdem nominis
 Etymologia.*

CAP. I.

Viperæ Latinis,
 à Græcis *ἔξιδα*,
 Viperæ masculus
ἔξις dicitur. Hu-
 jus nominis ratio
 varia est apud au-
 ctōres. Isidorus in
 originibus ait dictam esse Viperam,
 quia vipariat; quo cum consentit Pli-
 nius libr. 10. cap. 62. Lucanus item,
 Horus Apollo, Auctōr ad Pisonem,
 Plutarchus, Solinus, Origenes, Ni-
 colaus Nicolus Florentinus, Arnol-
 dus de Villa nova, Montagnana, alii-
 que plurimi; sed omnium primus
 Nicander, & ante ipsum Herodotus.
 Cum enim venter Viperæ ad partum
 intumesceret, ejus catuli non expe-
 ctantes.

10 DE VIPERÆ NATURA

stantes maturam partus solutionem, corrosis lateribus, erumpere existimabantur cum matris interitu. Idem credidère Pierius Valerianus, Petrus Gillius, Petrus Candidus, Raphaël Volateranus, Pandulphus Collenucius, Gabriel Zerbus, multiq; alii, qui in eadem navi parum accuraté cum superioribus fuerunt, comentaria potius quàm rerum naturam intuentes. Superiori seculo proximo, Nicolaus Leonicensus, alter Hercules Alexicacus, hunc & plerofque alios errores redarguit, demonstravit, & editis libellis extirpavit. Hunc secutus est Franciscus Caballus Brixianus, & Ambrosius Leo Nolanus. Hos multi cognita veritate imitati sunt, & seculum etiam nostrum hujusmodi nugas abjecit. Theophrastus post Aristotelem solers naturæ investigator, Viperarum uteros à catulis perforari negavit, aliamque auctor ipse gravissimus in his maternæ necis causam cominiscitur, dicens: disrumpi sponte

sponte uterum, quandoque, in quibusdam, cum angustus ita sit, ut tam numerosæ prolis multitudinem & incrementum capere non possit. Idem quoque Acubus piscipus evenire, quos admodum tenues prolis multitudo interimit. Hinc forsitan error sapientum virorum emanavit, qui videntes Viperam quandoque superstitibus filiis extinctam, à prole enecatam turpiter crediderunt, & ita negligenter in diuturno errore versati sunt. Ab Herodoto in Nicandrum, à Nicandro in reliquos quosque fluxit. Sed Apollonius ille Tyaneus apud Philostratum negavit hoc esse verum, quod hucusque ex communi consensu & sententia confirmari superius videbatur, eo quidem argumento, quòd visa sit Vipera catulos lambere & expolire, & hoc affabrè naturæ convenire cognitum est: naturaliter enim sentit, & sic ut plurimum evenire solet. Reliqui qui Theophrasto consentiunt, quod præter

*Plin.
lib. 9.
cap. 51.*

12 DE VIPERÆ NATURA

naturam & rarò contingit, ut natura-
le & perpetuum assumpserunt. At alii
scriptores prorsus contra naturam
omniò sunt opinati, quod esse non
potest, & propterea Aurelii Prudentii
Clementis carmina pulcherrima
prætercunda non censui, ut Poëtæ
ingenium in exornandis fabulis in-
tueamur.

*Si licet exemplis uti, sic Vipera (ut ajunt)
Dentibus emoritur fusæ per viscera prolis.
Mater morte sua, non sexu fertilis, aut de
Concubitu disienta uterum : sed cum calet
igni*

*Percita semineo, moriturum obscæna mari-
sum*

*Ore sicut patulo; Caput in serit ille trilingue
Conjugis in fauces, atque oscula fervidus
intrat,*

Insinuans oris coitu genitale venenum.

*Nupta voluptatis vi saucia, mordicus han-
sum*

*Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur,
Insusasque bibit caro pereunte salivas.*

*Hic pater ille ebris consumitur; ac genitri-
cem*

*Clausa necat soboles : nam postquam semine
adulto*

*Incipiunt calidis corpuscula parva latebris
Serpere,*

ET FACULTATIBUS. 13

*Serpere, motatumque uterum vibrata ferire,
Æstuat interno feritatis crimine mater,
Carnificemque gemit damnati conscia sexus,
Progeniem septi rumpentem obstacula par-*

*tus.
Nam quia nascendi nullus patet exitus, al-*

*vus
Fœtibus in lucem nitentibus ex cruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pan-*

*dit.
Tandem obitu altricis prodit Grex ille do-*

*lorum,
Ingressum vitæ vix eluctatus, & ortum
Perscelus exculpens; lambunt natale cada-*

*ver
Reptantes catuli, proles dum nascitur orba
Haud experta diem, misera nisi posthuma
matri.*

Jam tempus est colligendi, vipe-
ram non eò dici, quòd vi pariat, sed
quòd vivum excludat, ut apertè ex A-
ristotele colligitur, qui serpentina om-
nia in duo tantum genera dividit;
Unum quod ὠοτόκον, id est ovipa-
rum, quòd ova extra se pariat & re-
ponat; alterum vero ζωοτόκον, id est
animal, aut vivum pariens nuncupa-
tur. Interque serpentina omnia sola

2. de
hist. a-
nimal:
cap. 13.

Vipera intra se ova primum, deinde animal continet, deinde excludit. Unde Vivipera per contractionem Vipera dicitur, ἔχιδνα à Græcis τῶσι τὸ ἔχειν ἐν αὐτῇ τὴν γονὴν, Scilicet ad interitum usque quòd contineat, ut gravi cum errore Ludovicus Cælius Rhodiginus existimavit, ex auctoris gravissimi testimonio vir doctissimus. *Ælianus lib. 15. cap. 16. falsus est, se his fabellis implicitum fabulosa scripsisse in gratiam Herodoti; se tamen veritatem sectari. Suidas, & Auctor Etymologici ἔχιδναν τῶσι τὸ ἔχειν ἐν αὐτῇ τὸ ζῶμα, quod etiam verum est, Vipera dicitur ab eo quod animal in se contineat. Hæc de Vipera nomine, & nominis notatione plenè sufficere possunt.*